

Et ambo habebant sponsas. Quae, posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsae virginitatem tibi.

CAP. VII. DISPLICUIT SIBI, AUDITO PONTITIANO.

Narrabat haec Pontitianus: Tu autem, Domine, inter verba ejus retorquebas me ad me ipsum, auferens me a dorso meo, ubi me posueram, dum nolle me attendere, et constituebas me ante faciem meam, ut viderem, quam turpis essem, et quam distortus, et sordidus, maculosus, et ulcerosus. Et videbam, et horrebam; et quo a me fugerem, non erat. Et si conabar a me avertere aspectum, narrabat ille, quod narrabat, et tu me rursus opponebas mihi, et impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam et odissem. Noveram eam, sed dissimulabam, et connivebam, et obliscebar. Tunc vero quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quod se totos tibi sanandos dederant, tanto exsecrabilius me comparatum eis oderam. Quoniam multi mei anni mecum effluixerant, forte duodecim anni, ex quo ab undevicesimo anno aetatis meae, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiae, et differebam, contempta felicitate terrena, ad eam investigandam vacare, cuius non inventio, sed vel sola inquisitio, jam praeponenda erat, etiam inventis thesauris, regnisque gentium, et ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus. At ego adolescens miser, valde miser in exordio ipsius adolescentiae, etiam petieram a te castitatem, et dixeram: Da mihi castitatem, et continentiam, sed noli modo. Timebam enim, ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiae, quam malebam expleri quam extingui. Et ieram per vias pravas superstitione sacrilega, non quidem certus in ea, sed quasi praeponens eam caeteris, quae non pie quaerebam, sed inimice oppugnabam. Et putaveram, me propterea differre de die in diem, contempta spe seculi, te solum sequi, quia non mihi apparebat cer-